Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8252
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

adhesérunt mihi · quia sustinui te. Libera deus israel ex omnibus tribulacionibus suis. ℣. Oculi mei semper ad dominum. ps. Iudica me deus quoniam ego in innocencia mea ingressus sum et in domino sperans non infirmabor. Proba me domine et tempta me · ure renes meos · et cor meum. Quoniam misericordia tua ante oculos meos · et complacui in veritate tua. Non sedeo cum concilio vanitatis · et cum iniquis gerentibus non introibo. Odio habui ecclesiam malignantium · et cum impiis non sedebo. Lavabo inter innocentes manus meas · et circumdabo altare tuum domine. Ut audiam vocem laudis · et enarrem universa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus tue · et locum habitacionis gloriae tue. Ne perdas cum impiis deus animam meam · et cum viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates sunt · dextera eorum repleta est muneribus. Ego autem in innocencia mea ingressus sum · redime me et miserere mihi. Pes meus stetit in directo in ecclesiis benedicam te domine. ps.

Deus in nomine tuo salvum me fac · et in virtute tua libera me. Deus exaudi oracionem meam · auribus percipe verba oris mei. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me · et fortes quesierunt animam meam · et non proposuerunt deum ante conspectum suum. Ecce enim deus adiuvat me · et dominus susceptor est animae meae. Averte mala inimicis meis in veritate tua disperde illos. Volentariae sacrificabo tibi · et confitebor nomini tuo domine · quoniam bonum est. Quoniam ex omni tribulacione eripuisti me · et super inimicos meos despexit oculus meus. ℣. In medio ecclesie laudabo te in medio populi magnificabo te.

Quoniam in domino. ps. Quoniam bonus · quoniam in seculum misericordia eius. Dicant nunc israel quoniam bonus · quoniam in seculum misericordia eius. Dicant nunc domus aaron quoniam in seculum misericordia eius. Dicant nunc qui timent dominum · quoniam in seculum misericordia eius. De tribulacione invocavi dominum · et exaudivit me in latitudine deus. Dominus mihi adiutor · non timebo quid faciat